

Junghans
de
Ministerrum 7. J.
Conjugis

1739



888
P.



DE
LICITIS AC LEGITIMIS MINISTRORVM
V. D. CONIVGIIS,
CONTRA PONTIFICIOS,
INPRIMIS EX EBR. XIII, 4. DISSERIT,

ET SIMVL

VIRO PERQVAM REVERENDO, AMPLISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO DOMINO,

M. IOANNI LVZIO,

REV. APVD LINDAVIENSES MINIST. ADI. BENE. MERENTI,

N V P T I A S

CVM

NOBILISSIMA ATQVE PRAESTANTISSIMA VIRGINE,

A N N A M A R I A,

EX GENTE ADAMIANA,

MENSE IAN. A. R. S. CID MDCCXXXIX. CELEBRATAS,

N O M I N E

SOCIETATIS PHILOBIBLICAE,

QVAE SVB PRAESIDIO

VIRI MAGNIFICI, SVMME VENERABILIS, ATQVE EXCELLEN-
TISSIMI DOMINI,

CHRISTIANI FRIDER. BOERNERI,

SS. THEOL. DOCT. EIVSD. PROF. PVBL. PRIM. RELIQA


L I P S I A E F L O R E T,

ANIMITVS GRATVLATVR

M. SAMVEL AVGVSTVS IVNGHANSIVS,

STOLB. MISN.

L I P S I A E,
LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMI



VIR PERQVAM REVERENDE,
FAVOR AESTVMATISSIME,



iteris TVIS nuperrime ad nos datis mutationem rerum Tuarum, quam meditabaris, nobis aperuisti, et nostram congratulationem, iure TVO, propter illam, quae antehac TIBI nobiscum intercessit, societatem et amicitiam, postulasti. Non possumus non forte TVA, sane exoptatissima, animitus laetari, et simul sapientissimum *amplissimae Ciuitatis Lindauensis* consilium laudare, quod TE, quem ipsa dedit, elegantissimis ac solidissimis instructum ac perpolitum studiis, ante aliquod tempus, ad sacra rite et publice peragenda, reuocauerit, et nunc quoque honestissimam ciuem, TIBI lectissimam vitae sociam, elocet. Quo vero *societas nostra philobiblica* humanissimae TVAE petitioni, et consuetudini apud nos receptae, satisfaceret, et gaudia sua publice testaretur, me interpretem ac internuntium in congratulando esse iussit.

Solicitus autem ego, quodnam argumentum in dicendo eligerem, ac pertractarem, festo illo, quem TV celebrasti, die dignum, eique congruens, demum ad illud *effatum diui Apostoli* dilucidandum, et vindicandum, animum appuli, quo, *Ebr. XIII, 4. Τιμωσθε τὸ ὄνομα ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοινὴ ἀμείνωτος;* pronuntiat. Ita vero mea qualiscunque opera circa diuinum hoc oraculum versabitur, ut, *praemissa succincta expositione, contra dissentientes, inprimis Pontificios, ex eo confirmem, licere omnino Ministro V. D. uti coniugio. Deus* instituto meo gratiosissime addicat! TV, *Vir Admodum Reuerende*, fac quaeso, patientes mihi accommodes oculos, animumque praebes facilem, et, si non omnia solide ac nitide satis dicta esse deprehenderit, tribuas festinationi, et amice corrigas.

Primo itaque, quod bonae sanaeque interpretationis praecepta suadent et iubent, est inquirendum, *qua ratione textus noster cum iis, quae antecedunt, et consequuntur, cobaereat.* Cum pleri-

plerique interpretum, quos euoluere et consulere mihi contigit, non tam accuratiorum *Commentatorum*, quam liberiorum, (uti dicuntur,) *Glossatorum* partes sustinuerint, hanc connexionem vel prorsus neglexerunt, vel leuiter saltem, strictinque attigerunt. Laudem prae multis aliis meretur B. D. GOTTFR. OLEARIVS, qui, in peculiari *Diff. epistolae ad Ebraeos analysin exhibens*, tres partes constituit. *Tertia*, §phis 15. et 16. *postremis duobus Capp. absolui, et moralia, s. Christianorum officia, exhibere*, dicitur, ita quidem, vt C. XII. v. 1.-II. *officia erga Deum*: a v. 12. C. XII. vsque v. 3. C. XIII. *officia erga proximum, tum generaliora erga omnes homines, tum specialiora erga fratres conuersos: α)* et C. XIII. v. 4. et 5. *officia erga nosmetipsos*, recenseantur: In reliquis commatibus ea commemorari, ac proponi, quae *Ministris Eccl. debeamus*; ac tandem consequi *epistolae epilogum*. Proinde id, quod oculis animoque obuersatur, diui Apostoli dictum, *de istis officiis exponit, quae nobismetipsis debemus, et quae castitatis nomine comprehenduntur*; sigillatim de coniugio legitimo, eiusque usu, praecipit.

Facile patet, priorem propositionem, Τιμος ὁ γαμος ἐν πασι, esse inuersam, prius praedicatum, post subiectum, exhibentem. Est igitur ita immutanda: ὁ γαμος τιμος ἐν πασι. Vox γαμος varios sustinet significatus. Quis uero h. l. obtineat, e contextu facili opera colligitur. Indicatur nempe *coniugium, s. coniunctio unius uiri et unius foeminae, legitime facta, nuptiisque celebrata*. Vocis τιμος usum, seu, vt rectius loquar, pondus, eruditi ac solliciti interpretes, magna industria, curaque, collegerunt et attulerunt.

)(2

α) Incidit mihi, cum haec scriberem, in manus *dissertationucula gratul. Dresdae* ao. 1730. in nuptias M. Kleebergii ad h. l. elab. cuius auctor Celeb. OLEARIVS, (quo iure alii iudicent,) ideo taxare annitur, quod φιλαδελφια v. I. C. XIII. tanquam *speciale quoddam officium erga fratres conuersos*; neququam uero, ceu generale erga omnes homines, exposuerit. Mea quidem sententia, B. Olearius eam uoci φιλαδελφια notionem tribuit, quam ipse Sp. S. 2. Pet. I. 7. eidem imponit, ubi φιλαδελφια sec. Luth. die brüderliche Liebe, et ἀγαπη, die allgemeine Liebe, probe discernuntur. Quidni asseratur, Paulum eandem significationem φιλαδελφιας in animo habuisse, eaque uoce specialia officia erga conuersos fratres indicare uoluisse, praesertim, postquam in praecedentibus uerbis communem ἀγαπη in omnes homines iam recensuerat?

runt. Aliqui, v. C. ERASM. ROTEROD. BEZA, SEBAST. SCHMID. CASTALIO, et, qui primo loco appellandus erat, magnus noster LUTHERVS, *pretii, aestimationis, debitive honoris*, notionem vrgent et adhibent. Alii, e. g. PISCATOR et LUCAS OSIANDER, *sanctitatis*: alii demum, vti TOSSANVS, *liciti*, significationem amplexi sunt, et ex probatae aetatis ac fidei auctoribus confirmarunt. Si dicendum, quid ego sentiam, non immerito, hos significatus simul stare posse, dixeris, vt orationi maius robur inde accedat, cum non pugnent, sed amice conspirent, et se inuicem explicent ac illustrent. Innuitur quippe hac voce *τῆμος*, *coniugium ob institutionem diuinam, qua gaudet, esse rem sanctam, aestimabilem et maxime licitam.* „*Et si enim*, inquit „B. KROMAYERVS, β) textum nostrum allegans, *status coniugalis nonnunquam in adulteros cadit, quorum etiam mentio d. l. fit: nihil tamen dignationi eius inde decedit. Coniugium enim abstracte est considerandum; quo sensu non minus est et manet honorabile, ac eruditio aut pulchritudo, etiam si non raro in malis inueniantur hominibus. Hinc Apostolus ibid. non coniugium adulterorum coniugio castorum, (abstractum abstracto,) sed coniuges adulteros coniugibus castis, (concretum concreto,) opponit.* „ Addit D. Apostolus ἐν *πρασ*: Meum iam non est, varias γ) doctorum virorum interpretationes, et versiones, horum verborum, commemorare, inter se conferre, diiudicare, eas, quae conciliari possint, conciliare, refragantes autem virgula censoria notare, et confu-

β) in Theol. posit. pol. P. II. L. XXI. §. 1. p. 441. γ) Conf. meretur auctor *diffiam citatae*, qui quatuor classes harum expositionum constituit: *Ima est Pontificiorum fere omnium, qui vertunt, omnino, perfecte, modis omnibus, omnibus ex partibus, et in omnibus, quae coniugii sunt propria; (sunt autem ea ex mente Rom. Eccl. respectus coniugii sacrament. fides, proles: Illa Theophylacti, qui ita ἐν πρασ intelligit, in omnibus legitime coniunctis, s. sint senes, s. iuuenes, s. nobiles, s. ignobiles. Illia est Fulgentii expositio, et pro inter accipiens, h. m. coniugium debere apud, et inter, omnes, haberi honorabile, non debere a quocumque sperni, etiam si ab eo se quis contineat. IVta demum et receptorum expositio, dictum hoc, τῆμος ἐν πρασ γῆμος, refert ad omnes personas coniugatas, vel coniugabiles, cuiuscumque demum sint status, ordinis, et conditionis in ecclesia, etiam si Clerici sint.* Priores tres exposuit. BELLARM. T. II. L. I. C. XX. p. 175. §. 9. adducit et approbat.

confutare: (quippe mecum habito, et noui, quam angusti limites huic meae exercitationi sint praescribendi;) id sufficere posse existimem, si optimam, et communem veluti *Theologorum nostratum*, expositionem, (in qua cum iisdem plurimi *Reformatorum*, quin et *cordatiores Pontificiorum*, consentiunt,) his DANNHAVERI verbis expressero: *Est ὁ γάμος τιμὸς ἐν παντί, in omnibus partibus, personis, ac ordinibus.* Nec opus esse arbitror, vt studiosius aut sollicitius inquiram, quae copula, in fontibus omissa, in explicacione substitui debeat, num *Indicatiuus* ἐστὶ, qui *Prücknero* placet, δ) an *Imperatiuus* ἐστὶ, qui *Erasm. Schmidio* ε) magis arridet. Nam idem sensus est, et manet, nec alter alterum tollit, sed gignit, ac ponit, s. imperatiuo, s. indicatiuo modo exponatur. Si matrimonium, ob institutionem diuinam, et varia, quae secum affert, bona et emolumenta, sacrum pretiosumque est, prono consequitur nexu, quod apud omnes, et inter omnes, pro tali debeat agnoscere et haberi. ζ) Fortē ideo sacer auctor de industria copulam omisit, vt vtrumque piis attentisque lectoribus insinuetur, quod non tantum sanctitatem legitimi coniugii, probe cognitam perspectamque, decenter aestimare ac venerari, sed etiam se eadem dignos gerere, debeant.

Idem quoque valet de *altero euunriato*, quod diuus scriptor, non otiose, sed maioris lucis ac ponderis causa, addit: *καὶ ἡ κοινή ἀμικτός.* Vox *κοινή*, in genere, *lectum*, seu *quemcunque alium locum*, indicat, *in quo a strepitibus remoti delirescere ac requiescere possumus*; (sic de *lustris ferarum* adhibitam deprehendimus:) deinde specialiori usu *thalamum*, s. *cubiculum coniugale*, et per meton. *ipsum coniugium*, notat. *ἀμικτός*, vi compositionis, *purum, impollutum, immaculatum, incontaminatum*, quid significat. Est igitur ἡ κοινή ἀμικτός *connubium purum et impollutum*. Si quod discrimen, in duabus his propositionibus, est quaerendum, forte hoc erit, *per γάμον matrimonium inchoatum, aut recens contractum,*

δ) P. V. vindic. bibl. f. 800. ε) ad h. l. f. 1343. ζ) hinc etiam ven. ZELTNERVS, *Vinariensis* secutus, coniunctim et satis ponderose ita transtulit: *Die Ehe ist, und soll in Würden, köstlich, und Ehrenwerth seyn und bleiben in allen Stücken, bey allen, und zu allen Zeiten.*

tractum, per uotum coniugium continuatum et libere exercitum, indigitari. Dicitur autem coniugium $\tau\eta\mu\omega\nu$, inprimis respectu Dei conditoris, et $\alpha\mu\iota\alpha\rho\tau\omega\nu$ intuitu ipsorum coniugum: ne fortassis opinentur, cohabitatione coniugali, genialem lectum inquinari. ⁿ⁾ Nisi quis, (cui tantopere non refragabor,) in priori enuntiatione, $\tau\omega$ EETI , in posteriori vero, $\tau\omega$ $\text{EET}\Omega$, surrogare voluerit, ut adeo Apostolus alteram ex altera eliciat, h. m. *Quia coniugium in se est honorabile; Ergo etiam a coniugibus non debet foedari ac inquinari, illicitis aut extraneis congressibus.* Hac ratione particula KAI indueret significatum concludendi, qui sane non ita infrequens est. ^{s)}

Praemissa hac succincta oraculi Paulini explicacione, id nunc agam, ut ex eodem, *coniugia ministrorum Eccl. legitima et licita esse, contra dissentientes quosuis, inprimis Pontificios, euincam.* Iure enim ita colligo: *Si EN ΠΑΣΙ, IN OMNIBVS, illis personis, quae matrimonium legitime ineunt, est ὁ γάμος τῆς καὶ ἡ καὶ τῆς ἀμύατος: Quidni hoc etiam de Ministris V. D. valeat, quod eorum coniugia sint τῆς καὶ ἀμύατος, et quod iis omnino uxores ducere liceat?* Habeo hac in re optimos maximique nominis Theologos consentientes, DANNHAVERVM , GERHARDVM , SCHERZERVM , QYENSTEDIVM , HOLLAZIVM , aliosque, qui in *systematibus suis*, itidem hoc effatum Paulinum, pro demonstrandis licitis ac legitimis Antistitum sacrorum nuptiis, adduxerunt. Et quam felici successu PAPHNVTVS , venerabilis ille senex, in *synodo Nicaena*, ad hoc oraculum, in eadem causa, prouocauerit, paulo infra dicendi dabitur occasio.

Ast audio iam ALPH. SALMERONEM ⁱ⁾ mihi rigide et frigide fati obuertentem, et veluti e cathedra pronuntiantem, „non posse „in textu hoc per omnes etiam intelligi sacerdotes, cum in his, et „monachis, damnabile sit coniugium.“ Sane quid doctae et validae huic obiectioni, quae secundum praestantissimas Logices regulas, *idem ex eodem confirmat*, opponam, vix habeo, nisi forte hoc:

ⁿ⁾ Conf. PHIL. MELANCHTH. in defenf. Coniug. Sacerdot. P. I. op. f. 175.
^{s)} hoc sensu xai occurrit I. Ioh. IV, 16. et passim alibi. Conf. *Nold.* ⁱ⁾ T. XV. op. f. 727.

hoc: *Ministri V. D. omnino ad omnes pertinent, in quibus coniugium non est damnabile, Cur? quoniam coniugium eorum est honorabile.* Non minori ausu ac nisu, BELLARMINVS, *) contra CHYTRAEVM disputans, hoc e textu nostro petatum argumentum infirmare et eneruare allaborat. „Si, inquit, IN OMNI-
 „BVS omnes omnino homines comprehendit, honorabile etiam erit
 „Coniugium in patre et filia: in matre et filio, in fratre et so-
 „rore: Vel, si hoc Vobis non placet, non placeat etiam, honora-
 „bile debere coniugium dici inter monachum et sanctimonialem,
 „et caeteros homines, quibus, per votum, coniugium inire non li-
 „cet. Apostolus enim id solum vult, vt coniugium honoremus, in
 „omnibus rite et legitime copulatis. Vobis autem probandum su-
 „perest, rite et legitime eos copulari, qui perpetuam Deo conti-
 „nentiam vouerunt. Sed quis non videt, pessime, ab incestuo-
 „sis, patris cum filia, aut matris cum nato, aut fratris cum sorore,
 „congressibus, ad legitimas nuptias institui collectionem? Nam in-
 „cestuosi illi proxima cognatione coniunctorum congressus, partim
 „lege naturali et reuelata simul, partim sola reuelata, prohibentur:
 „Ergo sunt maxime illiciti, et illegitimi, et, quod inde fluit, nullo
 „modo honorabiles. Vbinam vero similis, de sacerdotum con-
 „iugio, extat prohibitio? Quo iure autem BELLARMINVS scripse-
 „rit, probandum nobis adhuc esse, rite et legitime eos copulari,
 „qui NB. in papatu, non libera voluntatis intentione, rationis de-
 „liberatione, et cordis promissione, sed tantum saepissime citra, imo
 „contra, omnem voluntatis consensum, sola oris expressione, et pro-
 „missionis testificatione, perpetuam Deo vouerunt continentiam,
 „quam tamen neutiquam implere valet, merito miramur. Nonne
 „in A. C. λ) eiusque Apologia, μ) in CHEMNITHI, ν) aliorumque
 „nostratum Theologorum, scriptis, satis superque ostensum atque
 „euictum est, votum continentiae, quod Pontifex R. a suis sanctu-
 „lis monachis, monialibusue, exigit, non liberum esse, sed fraude
 „et vi extorqueri, praeterea ἀρεῶν καὶ ἀντι γυμνασίου fingi, vires ho-
 „mini

*) T. I. L. III. de summo Pontif. C. XXII. p. 437. 32. et T. II. L. I. C. XX. p. 175.
 8. 9. fere eadem repetit. λ) p. 33. ff. μ) p. 276. ff. ν) inpr. in Exam. Tri-
 Conc. P. III. L. I. Capp. VII. VIII. et IX.

minis excedere, conscientias laqueos iniicere, naturae humanae maximam vim inferre, omnem libertatem tollere, iniurium esse in meritum I. C. κ. τ. λ. hasque ob causas, istud continentiae votum, nec rigide a quoquam exigendum, nec temere suscipiendum, nec, si susceptum fuerit, exsoluendum esse? Quae quidem omnia a BEL-LARMINO, caeterisque Pontificiorum Doctoribus, acriter sunt impugnata, neutiquam vero infirmata, nedum prorsus, et quidem solide, confutata.

Erit autem operae pretium, si alia argumenta simul in auxilium vocauero, iisque coniunctim sumtis, sententiam nostram confirmauero, etiam in iis, qui sacris operantur, coniugium esse *τιμιον και ἀμιαντον*. Non ea pluribus repetam, quae in *libris theologicis*, nunc a *prima Dei institutione*, quae ad omnes omnino homines, quos Adamus referebat, (quidni ad sacerdotes?) spectet, *Gen. I. et II.* nunc ab *exemplis Sacerdotum, et quidem summorum Sacerdotum, in V. T.* quos tamen typos Pontificis et Cleri R. fuisse, Papicolae clamitant; nunc a *clarissimis sacrarum literarum assertionibus, tum generalioribus, 1. Cor. VII, 2. ac 1. Tim. IV, 1. sqq. tum specialioribus, 1. Tim. III, 2. 4. 12. et Tit. I, 6. peti, et a distortionibus ac deprauationibus aduersariorum vindicari solent. Ad usum solummodo coniugiorum, qui inter Apostolos, et Doctores primaevae ecclesiae, obtinuit, prouocabo. Petrum, quem tamen Pontificii primum Papam R. iactitant, habuisse uxorem, patet ex Matth. VIII, 14. Sed, inquires, Apostolus factus eam dimisit? Neutiquam! CLEMENS ALEXANDRINVS ζ) de Petro et Philippo affirmat, *eos uxores secum duxisse, et genuisse liberos; Philippum quoque filias suas sacris elocauisse viris. Reliquos Apostolos tantum non omnes eundem seruasse morem, patet ex 1. Cor. IX, 5. o)* De Pauli coniugio nondum satis liquide constat, et in vtramque partem disputatur; π) Concedamus autem,*

ζ) L. III. Stromat. p. 97. ff. ο) Vid. IO. ANDR. SCHMIDII *diff. de Apostolis uxoratis*, ut et, quae pro vindicatione huius loci, ad strophas et obiect. BELLARM. regessit QVENSTED. P. IV. c. XII. *de Ministr. Eccl. Sect. II. p. 417.*

π) Legi meretur docte conscripta epist. Pl. Reu. HERNII, *Socii et Pautris nostri*

tem, Paulum non habuisse vxorem; quid inde? ipse tamen *Episcopis, Presbyteris, et reliquis V. D. Ministris*, connubia suadet et commendat. Quae in *primaeva Ecclesia* inualuerit consuetudo, e *Patrum* testimoniis facile cognoscitur, quorum tres, *IGNATIVM, ε)* *CHRYSOSTOMVM, σ)* et *HIERONYMV M, τ)* iam ideo excitare placet, quod partim nuptias laudant et commendant, partim suis temporibus, indiscriminatim, in vsu fuisse, testantur. Idem *canon IV. υ)* eorum, qui vulgo *Apostolis* tribuuntur, confirmat, qui vult, *ne Episcopus, Presbyter aut Diaconus, vxorem, religionis praetextu, reiiciat.*

Iuuabit autem nunc, vel breuiter stricimque, primarias vicissitudines commemorare, et ostendere, quomodo erroneae dissentientium opiniones, in Ecclesia N. F. ortae, progressae, et in papatu demum, ad altissimum, vt ita loquar, fastigium elatae sint. Prioribus seculis *nonnulli haereticorum*, quibus tamen masculae occursum est, generatim contra nuptias insurrexerunt. Alii enim, e. g. *infelices ac impuri NICOLAI affectae, φ)* *Adamitae, s. Prodiciani, χ)* et *famosi Manichaei, ψ)* dissoluto coniugii vinculo, vagas libidines exercendas, et mulieres communes habendas esse, audacissime docuerunt. Alii, *Saturniani, ω)* *Tatiani*, et eiusdem furfuris homines, *Encratitae, α)* *Seueriani, β)* *Apostolici, s. Apotactitae, γ)* *Marcionitae, δ)* *Hierachitae, s. Heraclitae, ε)* et *Priscillianistae, ζ)* ad suarum sectarum commendationem, suos perpetuam virginitatem et continentiam profiteri iusserunt, coniuges et coniugia damnarunt, diuortia in bene

confi-

nostrī maximopere colenti, de illorum sententia non plane ridicula, qui per vulgares ymoios Phil. IV, 3. Pauli intelligunt Coniugem. Lips. 1738. ε) in epist. ad Philadelph. quae numero VI. est, p. 34. in monument. S. Patr. orthodox. υ) homil. II. in C. I. ep. ad Tit. τ) T. I. Ep. L. I. adu. Iouin. p. 33. Tria haec testimonia coniunctim exhibet *Am. Pol. in Symph. Cathol. p. 867. s. et CHEMN. d. I. p. 696. υ) Can. IV. al. V. Apost. ita audit: Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, vxorem suam, praetextu religionis, non abiicit: si abiicit, segregator a communione; si perseverat, deponitor. Vid. not. T. V. Op. Rupell. in Davidis Chytraci resp. ad Anton. Possuini Iesuitae, et Myl. cuiusdam criminat. p. 46. s. φ) EPIPH. T. I. L. I. haer. 25, et AVG. de haeref. C. 5. χ) CLEM. ALEX. L. III. Strom. et AVG. l. c. C. 31. ψ) contra quos acerbè inuehitur AVG. L. XIX. adu. Faust. C. 26. et L. de haeref. C. 47. ω) AVG. l. c. C. 3. α) EVSEB. H. E. L. IV. C. 28. et AVG. l. c. C. 25. β) AVG. d. I. C. 24. γ) AVG. l. c. C. 40. δ) IREN. L. I. C. 30. AVG. l. c. C. 22. ε) AVG. d. I. C. 47. ζ) AVG. l. c. C. 70.*

)(X)

constitutis matrimoniis suadentes et iniungentes. Alii, *Valesii* ac *Origeniani*, η) *Matth. XIX, 12.* et *Apoc. XIV, 4.* male exponentes, seiplos castrarunt, et, congressus omnes maritorum cum vxoribus detestabiles ac execrabiles esse, asseruerunt. Alii, alia via rem aggressi, *Abelonitae*, θ) coniugia concesserunt, sed vsum eorum interdixerunt et damnarunt. Alii, *Cataphryges*, s. *Montanistae*, ι) aequae ac *Cathari*, s. *Nouatiani*, κ) primas tantum permiserunt nuptias, secundas, repetitasque, prorsus improbantes et reiicientes. Alii alios, circa nuptias et coniugia, errarunt errores. Quibus num immerito illi accenseantur, qui recentioribus temporibus, singularem eximiamque simulantes sanctimoniam, coniugio abstinerunt, et caelibatum elegerunt, ne consuetudine foemellarum, etiamsi licite, vfi, contaminarentur, alii iudicent. Ex ingenti horum numero, solum *Gichtelium*, λ) famosum illum, quem elapsam tulit seculum, rerum, in primis sacrarum, nouatorem ac perturbatorem, excitabo.

Vt vero nunc eo redeam, vnde digressus sum, monere oportet, errorem istum, de illegitimo Clericorum, qui dicuntur, coniugio, sensim ac pedetentim in coetus purioris doctrinae irrepsisse. Recte quidem CALIXTVS μ) annotauit, primis tribus seculis, coniugia Clericorum, violento modo, non fuisse impugnata, multo minus prorsus prohibita, haec tamen quaestio subinde proponi ac ventilari coepit; *num etiam maritis liceat sacra peragere, an potius caelibes ν) sacro muneri sint praeficiendi?* Vbi vero mitiora fata duriores vexationes exceperunt, maiori vehementia atque acerbitate, *Episcopi praesertim Romani, continentiam, Ministris Eccl. ceu maxime necessariam*, in variis conuentibus publicis, *imperarunt.* ξ) Qua de lege roganda cum in *concilio Nicaeno*, Sec. IV. post grauiores deliberationes, itidem ageretur, PAPHNVTVS quidam, *Episcopus*, et quidem

η) AVG. l. c. C. 37. et 42. θ) ib. C. 87. ι) ibid. C. 26. κ) ibid. C. 38. λ) quae huius viri sententia de *Coniug.* fuerit, patet ex ipsius epist. quas recens. leges in *Freywilligen Hebpffer T. I. 6ten Beytrag*, p. 522 ff. et *7ten Beytrag*, p. 563. ff. μ) de *Coniug. Cleric.* p. 166. ν) de intempestiuo nimioque caelibatus amore, quo tunc temporis plurimi tenebantur, conf. CHEMNIT. l. c. p. 692. ff. ξ) patet hoc ex actibus *conciliorum, Ancyran, Neocaesareani, Elibertini, et Arelatenfis*, Sec. IV. sub moderam. *Episc. Rom. eoactorum*, de quibus CHEMNIT. d. l. p. 700. ff. et CALIXTVS l. c. p. 168. f.

dem matrimonii inexpertus, in media surgens corona, vehementer restitit, et confidentissimo animo, ad dictum paulo ante expositum, Ebr. XIII, 4. prouocauit: *honorabiles esse nuptias, et concubitum cum propria coniuge esse castitatem.* Suasit ergo iis, qui aderant, *ne, nimio exquisitioris vitae studio allecti, eam ferrent legem, quae humanos excluderet affectus, ac idcirco, et ipsis Ministris, et eorum uxoribus, occasione fornicationis existere possët.* Sapiens hoc Paphnutii consilium tota concio maximopere laudauit, approbavit, et nihil ex hac parte fanciuit, sed vnuscuiusque arbitrio permisit. *o*) Ast haec Nicaenae synodi sententia non omnimodam, quam meruit, naeta est approbationem. *π*) Nam sub finem huius Sec. SIRICIVS, Episc. Rom. Sacerdotes denuo, ea de caussa, a coniugio arcendos esse censuit, *quod, qui secundum carnem uiuerent, Deo placere non possent.* *ε*) Quapropter grauissimam CALVINI *σ*) censuram incurrit, sed a BELLARMINO *τ*) strenue et feliciter sc. defensus est, ex cuius

)((2

fen-

- o*) Conf. SOCRATES L. I. H. E. C. 8. SOZOM. L. IV. C. 22. NICEPH. L. VIII. c. 19. CASSIOD. Tripartit. L. II. C. 14. CALIXT. l. c. p. 172. ex *Gelasii act. Syn. Nic.* CHEMNIT. d. l. p. 699. Qua ratione BELLARM. hanc hist. neget, certe impugnet ac infirmet, uideri est, T. II. L. I. C. XXXVIII. p. 22. Idem quoque, quod Conc. Nic. sanxit, in Synodo Trullana s. *Quinisexta*, quam Imp. IVSTINIAN. II. ao. DCXIII. Constantinop. coëgit, confirmatum est: *coniugia Clericorum valere, nec eorum cum uxoribus copulam, mutuanue consuetudinem, (si modo iusto tempore ea abstineant,) esse dissoluendam.* Canones huius Syn. Trull. ab Orientali Eccl. recepti sunt; *Sergius v. Papa R.* eos reiecit et damnauit; hacque ratione occident. Eccl. ab orientali secessum fecit. CALVIS. Chronol. p. 616. b. et CHEMNIT. l. c. p. 706. *π*) *Gangrensis* tamen Synodus, non ita multo post celebrata, hanc Nic. Concil. sententiam approbavit, *Eustathii* errorem, qui, uti SOZOM. L. III. C. 14. refert, prohibuit contrahere matrimonia, et praecipue, quod SOCR. L. II. C. 45. addit, preces et sacramenta presbyteri uxorem habentis, *ut uxor,* tanquam pollutionem, fugere iussit, damnans, et speciatim, contra legem de caelibatu sacerdotum, pronuntians. CHEMNIT. d. l. p. 701. et summe ven. noster LOESCHERS in Reform. A&T. I. C. I. p. 13. *ε*) Vid. T. V. op. Rap. l. c. p. 49. Quam male a Siricio, verba Apost. Rom. VIII, 8. *Qui secundum carnem uiuunt, non possunt Deo placere;* ad Coniugia sacerdot. sint applicata, praeter caeteros, annotarunt MAGDEB. Cent. V. C. X. et CHEMNIT. l. c. p. 704. quos BELLARM. refellere studet, T. I. L. IV. C. X. p. 464. 5. et T. III. L. I. C. V. p. 6. in quo posteriori loco Chemnit. *ceu impudencem et mendacem hominem, traducit.* *ε*) L. IV. instit. C. XII. §. 24. *τ*) T. I. L. IV. C. X. p. 464. I.

sententia Caluinus, more suo, et haereticorum omnium, valde impudenter et calumniose egit.

Sec. VI. GREGORIVS M. f. SANCTVS, leges, de vetandis Clericorum coniugiis latas, repetiit, quin imo sacerdotibus insulae Siciliae vi vxores abstulit; mutato tamen non ita multo post consilio, ablatas restituit. Caussa haec fuisse perhibetur: quod in piscina quadam prope coenobium, sex mille capita, (forte menda, amanuensium incuria, irrepsit, quam GERHARDVS v) emendare visus est, loco numeri millenarii, centenarium concedens,) tenellorum infantum, misere occisorum, reperta essent; quibus visis, Gregorius gemebundus exclamasse dicitur: *Recte Paulus pronuntiavit, satius esse nubere, quam vri; addam ego: praestat nubere, quam tantam infantum stragem excitare aut edere.* Negant equidem ac pernegant Pontificii, haec ita esse gesta, praesertim BELLARMINVS, (φ) et BARONIVS; (χ) sed est nobis instar plurium testium, epistola HVLDERICI, (ψ) cuiusdam Episcopi Augustani, quam ad NICOLAVM I. Papam R. Sec. IX. scripsit, cum hic, inexorabili prorsus lege, iis omnibus, qui sacra tractabant, caeli-

- *) Conf. Cathol. L. II. Spec. part. 2. p. 62. φ) T. II. L. I. C. XXII. p. 197 ff. χ) T. VIII. Annal. sub A. 591. n. 19. 20. 21. ψ) Alii hunc Episc. Vldaricum, Adelgerum f. Olgerum, appellant. Coniectura SPANGENB. in exposit. i. Tim. p. 225. non est contemnenda, vitio scribarum, ex Adelgero f. Olgero factum esse Vldaricum. Praeterea non inutilis, sed temporum seriei inseruiens, est obseru. CHEMNIT. l. c. f. 713. CALIXT. d. I. p. 359. et IO. WOLFFII T. I. memor. f. 243. duos fuisse Aug. Vindel. Episcopos, qui nomen Hulderici, f. Vldarici, gesserint; alterum, cui haec epistola debetur, temporibus Nic. I. vixisse, exeunte VIII. et ineunte IX. seculis, (ita IAC. de VORAG. hist. Lomb. C. 202. de hoc Hulderico testatur: „post multa miracula ao. Dni. nonagesimo, aet. suae 83. ordinat. „50. migrauit ad Dominum;) alterum, post tempora Nicolai, extitisse. Hac enim ratione, commodissime, ad obiectiones Bell. et Bar. citatas, respondetur. Quibus etiam hoc inprimis opponimus, quod iam AENEAS SYLV. huius epist. fecerit mentionem. Vid. Hed. H. E. L. VIII. c. 12. Non minus GABR. VAZQUEZ, sine omni tergiversatione, hanc epist. vt genuinum scriptum, allegat et admittit, teste CAL. l. c. p. 359. Notante VANNIO, de missa. P. II. Cent. IX. f. 134. hic Vldaricus tanta inclaruit sanctitate, vt etiam humus, et glebae de sepulchro ipsius, mures et glires expulisse perhibeantur. Varie profert haec epistola. Vt alios taceam, prouoco ad CALIXT. l. c. p. 444. qui integram epist. tradit. Summam eius cum doctiss. annotat. exhibent VANNIVS d. I. et CHEMNIT. l. c. p. 713.

caelibatum imperaret, matrimonia eorundem æquiparans fornicationibus. Egregium certe huius epistolæ, quam tamen GRETSE-
RVS ω) *stramentitiam* appellat, vsum recenset CHEMNITIVS; α) *ab isto nimirum tempore, integro fere duorum seculorum interualla, usque dum Gregorius VII. pontificatum capesseret, coniugia sacerdotum in Germania non amplius fuisse infestata*, quod etiam GEORGIVS, WICELIVS β) et CLAVDIVS ESPENCAEVVS, γ) vel inuiti, concedunt, licet in eo dissentiant, *epistolæ Hulderici hanc tranquillitatem deberi*. Hic autem GREGORIUS VII. antea HILDEBRANDVS dictus, qui, prae caeteris omnibus Episcopis, sibi soli, et successoribus, speciosum PAPA E titulum, vindicauit, δ) et primatum, in temporalibus quoque, super omnes Imperatores et Reges, cum pontificatu Rom. coniunxit, *Sec. XI. caelibatum violenter omnibus ac singulis obtrusit, ac diuortia iniunxit. e)* Sed vniuersa sacerdotum cohors, per Germaniam et Galliam, (puta Belgicam, quae nobilior Germaniae pars fuit,) ζ) et precibus, et vi, restitit, certe, parum abfuit, quin Archiepiscopus Moguntinus, decretum istud Pontificium promulgaturus, ab iratis sacerdotibus, per tumultum fuisset oppressus, vti A. C. η) id ipsum adducit. CALIXTVS s. CALLISTVS II. antea GVIDO dictus, *Sec. XII. ca.*, quae *Gregorius VII. inceperat et renouauerat, continuauit et auxit. θ)*

Tandem *Sec. XVI. in concilio Tridentino, Sess. XXIV. Cann. 9. et 10.* hic error, de illicitis ac illegitimis sacerdotum nuptiis, ad summum ascendit fastigium, et, (sit venia verbo,) *canonizatus est. ι)*

)(3

Equi-

ω) C. 39. *Exam. myst. Pless.* p. 309. α) d. I. p. 715. β) in *via regia* apud WOLFF. II. *memor.* f. 377. γ) L. I. de *Continent.* C. 12. δ) P. I. GANTELIVS in *hist. urb. metrop.* p. 7. et *Magnif. LOESCHERS* l. c. p. 21. e) *Conf. merentur VANNIUS* d. I. f. 134. et CHEMNIT. l. c. p. 715. f. ζ) CALIXT. p. 427. η) *Abus* II. p. 22. Idem recensent LAMB. SCHAFFN. et NAVCL. ex iis autem CHEMNIT. l. c. p. 717. θ) CALVIS. *Chronol.* p. 753. refert, *hunc Papam Calixtum, in concilio, quod Ao. clo cxxx. Rhemis in Gallia indixerat, facta Hildebrandi confirmasse*. Extant de hoc Papa vetusta scriptoris cuiusdam Anglici carmina, quae CHEMNIT. l. c. p. 718. exhibet. ι) Videntur autem Patres huius concilii sibi metipsis contradixisse, *dum in ead. sess. C. l. iis anathema dixerunt,*
qui

Equidem non defuerunt, qui perniciosis hifce Pontificis R. machinationibus se oppofuerunt, quos inter facile eminuit ALBERTI κ) *Ducis Bauariae orator*; Sed irrita et fruſtranea fuerunt conſilia.

Si vero *cauſſas* inquiramus, quibus Pontifices Rom. permoti ſunt, vt tam intolerabile iugum ceruicibus Clericorum impoſuerint, variae omnino fuerunt. Duas potiores allegaſſe ſufficiat; alteram quidem, *inſatiabilem diuitiarum famem*, alteram, *faſtum et ſuperbiam*. Inſigne MELANCHTHONIS λ) huc pertinet teſtimonium: *Multi, ait, principes viri palam fatentur, defendi caelibatum, nec religione, nec ſuperſtitione aliqua, ſed tantum, quia commodior eſt ad potentiam, et ſplendorem ſacerdotum retinendum. Satis enim conſtat, conſeſſo coniugio, oportere, et numerum, et pompam, diminui, vt Graecorum ſacerdotes, nec tantas opes, nec imperia, adepti ſunt.* Neutiquam vero acerrimi iſti connubiorum, a Miniſtris Eccl. contractorum, oppugnatores et obtrectatores, ſecum perpenderunt, ſe hac ratione vagis ſcortationibus, et foediſſimis libidinibus, non tam feneftras, quam potius ianuas, aperuiſſe. μ) Nec poſſum ſatis mirari, ſ. rectius deteſtari, verba LAURENTII CAMPEGII, grauitate et ſanctitate patris purpurati indigniſſima, quae SLEIDANVS ν) refert: *grauius eſſe peccatum, ſi ſacerdotes fierent mariti, quam ſi domi plurimas alerent meretrices.*

Negare tamen non poſſum, cordatiores Pontificios, quin et quosdam ipſorum Pontificum, mala, quae ex hoc interdicto promanant, et ipſam interdictionem, acerbe doluiſſe. Memoratu digna

qui negarent, eſſe matrimonium vere et proprie vnum ex VII. legis euangel. ſacramentis, a Chriſto Dom. inſtitutum, gratiamque conferre: et tamen ipſi poſt ſacerdotes, ſanctulos ſuos, ab hoc ſacramento, ſ. ſigillo gratiae, abegerunt; quo iure? forte ideo, quia iſti, abundantes iuſtitia propria, non indigent gratia. Vid. CHEMNIT. l. c. p. 596. κ) ap. Am. Symph. Cathol. p. 870. λ) in def. Coniug. ſacerd. T. II. op. f. 168. μ) Vid. GERHARD. Conf. Cath. L. I. P. I. p. 83. f. MORNÆVS in hiſt. pap. p. 501. ſqq. et NIC. de CLEMANGIS de corrupto Eccl. Statu, alique plures, qui Eccl. corruptionem, inprimis eam, quae ex impuro ſacerd. caelibatu promanauit, acerbe doluerunt. ν) Comment. L. IV. f. 61. b.

gna sunt verba GEORGII CASSANDRI, §) quibus iustum dolorem, quem animo persenserat, testatus est, *eo rem iam peruenisse, ut vix centesimus reperiatur*, (videlicet in monachis et sacerdotibus pontificiae eccl.) *qui abstineat ab illicitis mulierum consuetudinibus; praestare igitur, ut ad coniugium admittantur*, etc. Non minorem meretur laudem CAIETANVS, Cardinalis, o) qui intrepide confessus est: *nec ratione, nec auctoritate, probatur, quod absolute loquendo, Sacerdos peccet, contrahendo matrimonium: nec ordo, in quantum ordo; nec ordo, in quantum sacer, est impeditiuus matrimonii*; et paulo post concludit; *Sacerdotium non dirimit contractum matrimonii, siue ante, siue post, ordinationem, seclusis omnibus legibus*, NB. *stando tantum in his, quae a Christo, et ab Apostolis, habemus*. E Pontificum vero numero, duumuiros tantum eligam, PIVM II. et IVLIVM II. quorum alter, teste Platina, π) censuit, *matrimonium sacerdotibus magna ratione esse ademptum, sed maiori restituendum*; alter, ut ipse LVTHERVVS refert, ρ) animus optavit, *ut sacerdotibus curatis, auctoritate concilii, uxores redderentur*. Quid? quod LOMBARDVS, σ) et GRATIANVS, τ) maximi duo Pontificiae Eccl. Magistri, pronuntiarunt, *sacerdotes neutiquam a matrimonio arcendos esse, cum sit sacramentum*; quod ipse BELLARMINVS υ) diffiteri nequit, licet miserrime in explicatione et vindicatione horum testimoniorum, se torqueat, ne auctoritatem tantorum virorum laedere, aut sibi contradicere, teneatur.

Satis, uti opinor, ex his, quae disputata sunt, elucet, quantum, successu temporis, defecerit Romana ecclesia ab antiqui purioris coetus doctrina et moribus. Euoluant Pontificii, si lubet, *1. Tim. IV, 1. sqq.* Nonne hoc Apostoli vaticinium in curiam Pontificis R. exactissime quadrat, quae, inter alios ibidem citatos errores, γαμειν κωλυει? Glorientur de castitate et continentia suorum sacrificu-
lorum

§) L. *Consult.* p. 238. o) in *opusc. Tir. I. Tr. 27. ap. Pol. Symph. Camb.* p. 869.
π) ex hoc CHEMN. l. c. p. 722. ρ) T. I. *Lat.* p. 511. σ) L. IV. *sent. dist. 26.*
τ) 27. *qu. 2. Can.* υ) T. III. L. de sacr. matr. C. V. p. 734.

lorum, monachorum et monialium: Abeant quaeso, et inuisant monasteria, Clericorumque domicilia, nonne plurima lupanaribus aequiparanda sunt? Quae cum ita sint, magnas, imo maximas, DEO debemus grates, quod *per restorationem sacrorum*, a LUTHERO, auspiciatissime susceptam, et felicissime peractam, libera coniugia in eundi potestas, Ministris V. D. est restituta, et ianua, tot vagis foedisque libidinibus, occlusa. Iure nunc diuino, et humano, iis omnibus, qui in coetibus nostris, operantur sacris, licet, more Apostolorum, et, qui his successerunt, Doctorum primitivae Eccl. laeta contrahere connubia, et suauissima societatis coniugalis frui dulcedine. Ο γαμος και εν ττοις πωσι τιμος και αιμαντος.

TV, *Vir Perquam Reuerende*, exemplo TVO, abunde confirmas, quam certus sis de veritate hac diuina, quam adhuc, pro viribus, defendi. Nil igitur restat, nisi hoc, vt id, cuius caussa hanc scriptionem suscepi, perficiam, h. e. vt TIBI, *nomine meo, et Sociorum aestumatissimorum*, TVAS nuptias toto animo gratuler. Faxit DEVS, *benignissimus ac sapientissimus connubiorum Conditor*, vt TVVM quoque coniugium, in nominis sui gloriam, TVAM, *lectissimaeque nouae Coniugis*, salutem, vergat, perstet, perennet.



Jf 4681

Jf 4681

X 2310535

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

DE
LICITIS AC LEGITIMIS MINISTRORVM
V. D. CONIVGIIS,
CONTRA PONTIFICIOS,
INPRIMIS EX EBR. XIII, 4. DISSERIT,

ET SIMVL

VIRO PERQVAM REVERENDO, AMPLISSIMO ATQVE
DOCTISSIMO DOMINO,

M. IOANNI LVZIO,

REV. APVD LINDAVIENSES MINIST. ADI. BENE. MERENTI,

N V P T I A S

CVM

NOBILISSIMA ATQVE PRAESTANTISSIMA VIRGINE,

A N N A M A R I A,

EX GENTE ADAMIANA,

MENSE IAN. A. R. S. CIO ID CC XXXIX. CELEBRATAS,

N O M I N E

SOCIETATIS PHILOBIBLICAE,

QVAE SVB PRAESIDIO

VIRI MAGNIFICI, SVMME VENERABILIS, ATQVE EXCELLEN-
TISSIMI DOMINI,

CHRISTIANI FRIDER. BOERNERI,

SS. THEOL. DOCT. EIVSD. PROF. PVBL. PRIM. RELIQA

L I P S I A E F L O R E T,

ANIMITVS GRATVLATVR

M. SAMVEL AVGVSTVS IVNGHANSIVS,

STOLB. MISN.

L I P S I A E,
LITTERIS IO. CHRISTIANI LANGENHEMII

